



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 71. Clementis XI. Constitutio contra externam obedientiæ Jansenianæ speciem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. Abyssinorum gentem, commentarium  
 A. C. 1705. & Appendicem ad Historiam Æthiopi-  
 cam, Psalterium Davidis Æthiopice,  
 Confessionem fidei Claudii Regis Æthio-  
 piæ, tractatum de bello Turcico fel-  
 citer gerendo, unacum epistolis Pii V.  
 pluraque alia. VI. Joannes Hedingerus  
 elucubravit dissertationem de fœ-  
 dere gratiæ, Quæstiones de discrepan-  
 tia V. T. a N. dissertationem de clypeo  
 S. Georgii seu de fœdere Suecico, &  
 nonnulla alia.

*Vid. supra  
 pag. 106.*

§. LXXI.

*Clementis XI. Constitutio contra ex-  
 ternam obedientiæ Jansenianæ  
 speciem.*

*Recueil Hist.  
 des Bull.  
 Dupin t. 4.  
 Hist. d'Eccl.  
 Hode vie de  
 Louis XIV.  
 lib. 57.* Quamvis Archiepiscopus Mechlinien-  
 sis præcipuos Jansenianæ factionis  
 Duces in Belgio acriter insectatus esset,  
 nihilominus non deerant, qui in Gal-  
 liis novas, easque tam Ecclesiæ quam  
 Regno noxias concitarent turbas, edi-  
 tisque libris spargerent, quod Clemens IX.  
 admittendo quatuor Franciæ Episcopi  
 ad Ecclesiæ pacem, duntaxat obsequio-  
 sum silentium circa Jansenii factum re-  
 quisierit, & Innocentius XII. damnan-  
 do quinque ejus propositiones in sensu  
 obvio diversum a sensu Jansenii dam-  
 naverit, nec circa definitionem sensus

controverſi plus quam ſilentium obſe-  
 quioſum exegerit, idque hæreſis ac idolo-  
 latriæ ſpecies foret. Ejusmodi cavillatio-  
 nibus atque effugiis Janseniſtæ in ipſa Ec-  
 cleſiæ viſcera graſſabantur, totumque  
 Clerum, & animarum Paſtores diro ſchis-  
 mate diſcindebant. Ea propter Ludov-  
 vicus Franciæ Rex hiſce turbis finem  
 imponere intentus, cum ex judici-  
 actis contra Quesnellum, Janseniſmum  
 non eſſe merum phantasma, ſed factio-  
 nem religioni proin ipſi etiam Regno  
 ſumme pernicioſam fore, luculenter  
 agnoviſſet, optimum Jansenii Patronos  
 compeſcendi medium cenſuit, ſi Pon-  
 tifex Prædeceſſorum Conſtitutiones ſo-  
 lemni & authentica Bulla confirmaret,  
 & cuncta hæc Novatorum effugia diſertis  
 verbis damnaret. Hanc in rem Fran-  
 ciæ Rex unacum Philippo V. Hispania-  
 rum Rege ſupplices ad Clementem Pa-  
 pam dedit literas, quibus acceptis Papa  
 omnem curam, operam & vigilias in  
 hoc negotio impendit, & tandem diu-  
 turno ac maturo rerum examine præ-  
 miſſo die decima quinta Junii ejuſmodi  
 Conſtitutionem edidit, hujus tenoris:  
 „Vineam Domini Sabaoth, quæ  
 „eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo  
 „Nobis Divinitus Apoſtolicæ Servitutis  
 „munere cuſtodire, atque excolere omni  
 „ſtudio, atque induſtria jugiter ſata-  
 Q 3 gentes,

Sæc. XVII.  
 A. C. 1705.

Sæc. XVII. „gentes, ea, quæ a Romanis Pontifi-  
 A. C. 1705. „cibus Prædecessoribus nostris ad suc-  
 „crescentes in illa perniciosarum novi-  
 „tatum vepres radicitus evellendos,  
 „prudenti, salubrique consilio confi-  
 „tuta esse noscuntur, ut quibuscunque  
 „Inimici hominis molitionibus dejectis,  
 „firmius semper, atque exactius obser-  
 „ventur, Apostolici muniminis nostri  
 „præsidio libenter roboramus, atque  
 „alias desuper sollicitudinis, & provi-  
 „dentix nostræ partes interponimus,  
 „sicut omnibus maturæ Consideratio-  
 „nis trutina perpensis, ad fidelem,  
 „ac tutam orthodoxæ veritatis custo-  
 „diam, necnon animarum pretioso uni-  
 „geniti Dei Filii Domini Nostri Jesu  
 „Christi sanguine redemptarum Salu-  
 „tem expedire in Domino arbitramur.  
 „Sane postquam Fel. rec. Innocen-  
 „tius Papa X. Prædecessor Noster per  
 „quamdam suam desuper editam Con-  
 „stitutionem quinque famosas Proposi-  
 „tiones ex Libro Cornelii Jansenii Epi-  
 „scopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*  
 „excerptas Apostolici censura Judicii  
 „rite confixerat, rec. me. Alexander  
 „Papa VII. etiam Prædecessor Noster  
 „ad ejusmodi jam damnatos errores  
 „a Christi fidelium mentibus prorsus  
 „abolendos, publicæque tranquillitatis  
 „perturbatorum subtili testas calliditate  
 „machin-

„machinationes penitus evertendas, Sæc. XVII.  
 „prædictam Innocentii Prædecessoris A. C. 1705.  
 „Constitutionem, toto illius inserto te-  
 „nore, confirmavit, novarumque de-  
 „clarationum accessione constabilivit,  
 „sua in id pariter edita constitutione.„

Postmodum Clemens Papa addu-  
 xit Constitutionem Alexandri VII. jam  
 a nobis supra allegatam, demum hæc  
 subjunxit: „ Subinde vero, quo omnis  
 „Apostolicarum definitionum eluden-  
 „darum aditus intercluderetur, memo-  
 „ratus Alexander Prædecessor priscum  
 „Ecclesiæ morem sequutus, certam  
 „edidit formulam ab omnibus Ecclē-  
 „siastici Ordinis, tam sæcularibus,  
 „quam regularibus personis subscri-  
 „bendam per aliam suam hac in re  
 „promulgatam constitutionem.„

Hac quoque inserta Pontifex ita  
 prosequatur: „Sic equidem causa  
 „finita est; non tamen sic, ut par erat,  
 „finitus est error Apostolico toties mu-  
 „crone percussus: neque enim defuere,  
 „nec adhuc desunt, homines veritati  
 „non acquiescentes, & nunquam Ec-  
 „clesiæ contradicendi finem facientes,  
 „qui variis distinctionibus, seu potius  
 „effugiis ad circumventionem excogi-  
 „tatis, Ecclesiam ipsam turbare, eam-  
 „que interminatis quæstionibus, quan-  
 „tum in ipsis est, involvere, & impli-

Q 4

„care

Sæc. XVII. „care conantur; quodque deterius est  
 A. C. 1705. „ipsamet Apostolicæ Sedis decreta re-  
 „darguendis eorum pravis sensibus con-  
 „dita, ac præsertim quasdam piæ me-  
 „morix Clementis Papæ IX. die 19.  
 „Januarii 1669. ad quatuor Gallix Epi-  
 „scopos, necnon binas similis memo-  
 „rix Innocentii Papæ XII. etiam Præ-  
 „decessorum nostrorum die 6. Februarii  
 „1694. & die 24. Novembris 1696. ad  
 „Episcopos Belgii in forma Brevis re-  
 „spective datas literas, in erroris sui  
 „patrocinium advocare, temerario pla-  
 „ne ausu, non erubescunt; perinde,  
 „ac si memoratus Clemens Prædeces-  
 „sor, qui eisdem suis literis se Inno-  
 „centii X. & Alexandri VII. Prædeces-  
 „sorum Constitutionibus supradictis fir-  
 „missime inhærere, ac a dictis quatuor  
 „Episcopis veram, & totalem obedi-  
 „tiam, adeoque formula a Præfato  
 „Alexandro Prædecessore, sicut præ-  
 „mittitur, edita sincere per eos sub-  
 „scribi voluisse declaravit, aliquam in  
 „tam gravi negotio exceptionem, seu  
 „restrictionem, quam nullam prorsus  
 „se unquam admitturum fuisse prote-  
 „staturus fuit, re ipsa admisisset; dictus  
 „vero Innocentius XII. Prædecessor,  
 „dum sapienter, ac provide prædictas  
 „quinque Propositiones ex memorato  
 „libro Jansenii excerptas in sensu ob-  
 „vio,

„vio, quem ipsamet Propositionum Sæc. XVII.  
 „verba exhibent, ac præferunt, dam- A. C. 1705.  
 „natas esse pronunciavit, non de ipso  
 „met obvio sensu, quem in Jansenii  
 „libro habent, quive ab eodem Janse-  
 „nio intentus, ac a præfatis Innocen-  
 „tio X. & Alexandro VII. Prædecesso-  
 „ribus damnatus fuit, sed de alio quo-  
 „piam diverso sensu cogitasset; dictas-  
 „que Innocentii X. & Alexandri VII.  
 „Prædecessorum Constitutiones tempe-  
 „rare, restringere, aut alio quovis mo-  
 „do immutare voluisset iisdem ipsis  
 „literis, quibus eas in suo robore fuisse,  
 „& esse, seque illis firmiter inhærere  
 „verbis, apertissime asserbat. „

„Præterea iidem inquieti homines  
 „sparsis undequaque scriptionibus ac  
 „libellis, exquisita ad fallendum arte  
 „compositis, non sine gravi Apostolicæ  
 „Sedis injuria, maximoque totius Ec-  
 „clesiæ scandalo docere non sunt ve-  
 „riti, *ad obedientiam præfatis Apostolicis*  
*Constitutionibus debitam non requiri, ut*  
*quis prædicti Janseniani libri sensum in*  
*ante dictis Propositionibus, sicut præmit-*  
*titur, damnatum, interius, ut hæreticum,*  
*damnet; sed satis esse, si ea de re obse-*  
*quiosum (ut ipsi vocant) silentium tenea-*  
*tur.* Quæ quidem assertio quam ab-  
 „surda sit, & animabus fidelium per-  
 „niciosa, satis apparet, dum fallacis

Q 5

„hujus

Sæc. XVII. „hujus Doctrinæ pallio non deponitur  
 A.C. 1755 „error, sed absconditur; vulnus tegi-  
 „tur, non curatur; Ecclesiæ illuditur,  
 „non paretur, & lata demum Filii  
 „inobedientiæ via sternitur ad foven-  
 „dam silentio hæresin; dum ipsam Jan-  
 „senii doctrinam, quam ab Apostolica  
 „Sede damnatam Ecclesia universalis  
 „exhorruit, adhuc interius abjicere,  
 „& corde improbare detrectant. „

„Quin etiam eo impudentiæ non-  
 „nullos devenisse compertum est, ut  
 „veluti naturalis honestatis, nedum  
 „Christianæ sinceritatis obliti asserere  
 „non dubitaverint, *præfata formulæ a*  
*memorato Alexandro Prædecessore præ-*  
*scriptæ subscribi licite posse, etiam ab iis,*  
*qui interius non judicant, prædicto Jan-*  
*senii libro doctrinam hæreticam contineri.*  
 „Quasi vero contra quam scriptum est:  
 „*Qui loquitur veritatem in corde suo. Et:*  
 „*qui jurat proximo suo, & non decipit;*  
 „hujusmodi erroris Sectatoribus liceat  
 „Ecclesiam ipsam jurejurando decipere,  
 „simulque Apostolicæ Sedis providen-  
 „tiam fallere; dum ejusdem formulæ  
 „conceptis verbis loquuntur, quod Ec-  
 „clesia loquitur, quod tamen sentit  
 „ipsa, non sentiunt; seque parere Con-  
 „stitutionibus Apostolicis profitentur,  
 „quibus animo contradicunt. „

„Hinc

„Hinc est, quod Nos ad opportu- Sæc. XVII.  
 „num & efficax tam exitiali morbo, qui A. C. 1705.  
 „ut cancer serpit, & quotidie in de-  
 „terius vergit, remedium adhibendum,  
 „non minus demandatæ nobis omnium  
 „Ecclesiarum sollicitudinis debito, quod  
 „plurimorum Venerabilium Fratrum  
 „nostrorum diversarum partium, ac  
 „præsertim Regni Galliarum Episco-  
 „porum Zelo, ac precibus excitati;  
 „ne hujusmodi pravi homines Catho-  
 „licæ Ecclesiæ pacem subvertere im-  
 „pune pergant, & simplicium, ac pu-  
 „sillorum mentibus imponere, docen-  
 „tes, quæ non oportet; neve ullus a-  
 „pud eos quoque, qui bona, ut ajunt,  
 „fide, ac falsis rumoribus decipi se for-  
 „tasse patiuntur, de mente, ac senten-  
 „tia Apostolicæ Sedis amplius ambi-  
 „gendi supersit locus, divino prius,  
 „tam privatis nostris, quam publice in-  
 „dictis precibus, implorato præsidio,  
 „ac re mature discussa, de nonnullo-  
 „rum Venerabilium Fratrum nostrorum  
 „S. R. E. Cardinalium consilio, audi-  
 „tisque complurium in sacra Theologia  
 „Magistrorum suffragiis.,  
 „Primo quidem præinsertas Inno-  
 „centii X. & Alexandri VII. Prædeces-  
 „sorum Constitutiones, omniaque, &  
 „singula in eis contenta autoritate  
 „Apostolica tenore præsentium, con-  
 „firma-

Sæc. XVII., firmamus, approbamus, & innovamus.  
A. C. 1705 „mus.„

„Ac insuper, ut quævis imposte-  
 „rum erroris occasio penitus præcida-  
 „tur, atque omnes Catholicæ Ecclesie  
 „Filiï Ecclesiam ipsam audire, non ta-  
 „cendo solum (nam & impii in tenebris  
 „conticescunt) sed & interius oble-  
 „quendo, quæ vera est orthodoxi ho-  
 „minis obedientia, condiscant; hæc  
 „nostra perpétuo valitura constitutione  
 „Obedientiæ, quæ præinsertis Apo-  
 „stolicis Constitutionibus debetur, ob-  
 „sequioso illo silentio minime satisfieri;  
 „sed damnatum in quinque præfatis  
 „Propositionibus Janseniani libri sen-  
 „sum, quem illarum verba præferunt,  
 „ut præfertur, ab omnibus Christi fi-  
 „delibus, ut hæreticum, non ore so-  
 „lum, sed & corde rejici, ac damnari  
 „debere; nec alia mente, animo, aut  
 „credulitate supradictæ formulæ sub-  
 „scribi licite posse; ita, ut qui secus,  
 „aut contra, quoad hæc omnia, & sine  
 „gula, senserint, tenuerint, prædica-  
 „verint, verbo, vel scripto docuerint,  
 „aut asseruerint, tanquam præfatarum  
 „Apostolicarum Constitutionum trans-  
 „gressores, omnibus & singulis illa-  
 „rum censuris & pœnis omnino sub-  
 „jaceant, eadem Authoritate Apосто-  
 „lica

„lica decernimus, declaramus, statui-  
 „mus, & ordinamus. „

Sæc. XVII.  
 A. C. 1705.

„Decernentes pariter easdem præ-  
 „sentes, & præinsertas literas semper,  
 „& perpetuo validas, & efficaces exi-  
 „stere, & fore, suosque plenarios, &  
 „integros effectus sortiri, & obtinere.  
 „Sicque per quoscunque Judices ordi-  
 „narios, & delegatos ubique judicari,  
 „& definiri debere, sublata eis, & eo-  
 „rum cuilibet quavis aliter judicandi,  
 „& interpretandi facultate, & auctori-  
 „tate; ac irritum, & inane, si secus  
 „super his a quoquam quavis auctori-  
 „tate scienter, vel ignoranter contige-  
 „rit attentari. „

„Quocirca Venerabilibus Fratribus  
 „Archiepiscopis, & Episcopis, aliis-  
 „que locorum ordinariis, necnon hæ-  
 „reticæ pravitatis Inquisitoribus, & Ju-  
 „dicibus Ecclesiasticis, ad quos perti-  
 „net, committimus, & mandamus, ut  
 „singuli in suis respective diæcesibus,  
 „ac locis suæ Jurisdictioni subjectis,  
 „ipsas præsentés literas, & in eis con-  
 „tenta, quæcunque exequantur, &  
 „executioni mandari, & observari ab  
 „omnibus curent, & inobedientes, &  
 „rebelles quoscunque per censuras, &  
 „pœnas præfatas, aliaque juris & facti  
 „remedia, appellatione postposita, in-  
 „vocato etiam ad hoc, si opus fuerit,  
 „brachii

Sæc. XVII. „brachii sæcularis auxilio, omnino  
 A. C. 1705. „coerceant, & compellant.„

## §. LXXII.

*Clementis XI. Papæ epistola ad Franciæ Regem hac in caussa.*

*Dupin l. c.  
 pag. 394.  
 Epist. &  
 Breve Cle-  
 mens XI.  
 pag. 262.*

Cum igitur Pontifex in hac constituto-  
 tione disertis verbis declararit,  
 quod sensum Jansenii in ejus libro, quem  
 hæreticum non modo exterius sed &  
 interius damnare oporteret, & obse-  
 quiosum silentium non sufficeret, sat mi-  
 rari non possumus, quod nihilominus  
 celebris quidam Scriptor hæc asserere  
 præsumpserit: „omnium expecta-  
 tio eo abiit, ut Pontifex circa so-  
 lam quæstionem facti agitatam, & in  
 casu conscientiæ propositam diserte  
 pronuntiaret, scilicet, an quis inte-  
 rius credere obstringatur factum Jan-  
 senii vel non: ipse vero id studiose de-  
 clinarit, conjungens jus cum facto,  
 declarando, quod obedientiæ Consti-  
 tutionibus debitæ non satisfiat per  
 obsequiosum silentium, quod tamen  
 circa propositiones sufficere, nullus  
 affirmavit, quæstio unice vertitur, an  
 quinque propositionum libri Janseniani  
 sensus sit hæreticus: quod Papa non  
 definit, contentus, ut eas damnet  
 in sensu obvio, quem Jansenii sensum  
 appel-